

eoque sensu in *L. 23. §. 2. D. de Auro Argent. Legat.* ad ornamenta muliebria refertur. Veteribus quoque zona armorum apparatus signat, teste RHODIGINO in *Antiq. Lect. L. XII. c. 19.* aliquando etiam certam coeli partem seu plagam significat, vid. PLIN. *L. 2. c. 68.* VIRGIL. *I. Georg. vers. 233.*

Quinque tenent coelum zonae

OVID. *I. Metamorph. vers. 45.*

- - - - - *totidemque sinistra*

Parte secant zonae.

Nonnunquam vero denotat zona cingulum, in quo pecuniam deferebant veteres, quo sensu Gracchus in oratione ad Populum, cum ex Sardinia rediisset, habita, verbo isto utitur. *Zonas, quas plenas argenti-extuli, eas ex provincia inanes retuli,* referente GELLIO in *Noct. Attic. L. XV. c. 12.* et SVETON. in *Vitell. c. 16.* *Dilabentibus qui simul erant zona se aureorum plena circumdedit, confugitque in cellulam Ianitoris,* nec non SPARTIANVS in *Pescennio Cap. X.* *Idem iussit ne in zonis milites ad bellum aureos vel argenteos nummos portarent, forte quia miles non timet nisi vestitus, armatus, calceatus et satur et habens aliquid in zonula,* ut LAMPRIDIVS ait in *Alexandro C. 52.* Potissimum vero in zonas recondebant pecunias maioris summae, quotidianis necessitatibus destinatas in crumena vel funda secum circumferentes, ut textus modo excitati indicant. Hinc, qui parum nummorum habent, aut vitae perditae et dissolutae sunt, zonam perdidisse aut zonam non habere dicuntur apud HORATIVUM *Lib. II. Epist. 2. vers. 40.*

- - - - - *qui zonam perdidit.* •

Atque sensu isto hoc vocabulum accipitur quoque in nostra lege, ubi zona panniculariis annumerari prohibetur, cum in hunc censum non veniant nisi res leuiore et minoris pretii, non ergo pecunia maioris summae in zona recondi solita.

IX.

Sed vestem, qua is fuerit indutus aut nummulos in veteralem, quos victus sui causa in promptu habuerit.

Variant hic lectiones et Codices. Nummulos in VETRALEM legitur in libris Florentinis; nummulos *inueterales* legit Glossa, additque i. e. *viles et non aptos ad veterandum non sunt ex toto aurei vel argenti;* nummulos in *veneralem* legendum esse

esse